



S Vuilibaldus filius fuit Richardi ducis Sue-
 uig, atq; discipulus S. Bonifacij præfulis Mo-
 guntinensis, qui magnam partem Germaniæ in fi-
 de Christiana instituit & confirmauit. Cum itaq;
 hic Vuilibaldus moribus & literis egregiè pro-
 ficeret, S. Bonifacius eum primum præfulē Eystet-
 ensem ordinauit, Anno Christi septingentesimo
 quadragesimo quarto, cū Pipinus Caroli Magni
 pater Francorum regnum administraret. Hanc et-
 iam uocationem Vuilibaldus summā fide & de-
 xteritare suscepit & continuauit. Erat tum Suei-
 ckardus comes ijs in locis, qui eam foundationem
 adiuuit, & suis bonis auxit. Itaq; ad arcem Nassen-
 telis syluam quercinam sustulit, & primò monasterium condidit, quod Aure-
 atum dictum fuit. Postea ubiq; quercinos lucos extirpauit, atq; monasterium
 ordinis S. Benedicti, quod Altmil dicitur, ibidem erexit, ut iuuentus bonis li-
 teris institueretur, atq; alij Deo suas preces funderent. Deinde etiam urbs ibi
 erecta, quæ à succis quercubus Eychstatt nominata fuit. Habuit is sororem
 S. Vualdburgam pietate & pudicitia insignē, quæ suo exemplo multos Chri-
 sto lucrata est. Hic Vuilibaldus etiam petente Lullo Archipræfule Mogunti-
 no uitam S. Bonifacij illustri sermone conscripsit & edidit, quæ etiamnum e-
 xtat. Erat eo tempore S. Vunibaldus frater Vuilibaldi in Thuringia, qui & ip-
 se idola tollebat, & ueram Christi religionem docebat. Cum autem S. Vuili-
 baldus per triginta sex annos magna sanctitate eam ecclesiam gubernasset,
 tandem anno ætatis suæ septuagesimo septimo, salutis uerò septingentesimo
 octuagesimo primo, summo omnium luctu inter mortales esse desijt. Eius ui-
 ri memoria ob pietatem & eruditionem ijs in locis etiamnum frequens exi-
 stit. Vt autem eius successores cognoscamus, ordine Eystetenfes Episcopos
 subijciemus.